Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars I.

Wien, 1799 Seite 207

Quelle:
Copyright:

ricordia — —, quae habentur in edit. *Cap.* III. Itaque plus quam V. *Capitibus* mulctatus eſt, cetera probae et cum Editis conſpirantis lectionis.

CXXXV.

R. 489 Codex chartaceus lat. Sec. XV. Folior. 204. f. per duas columnas bene exaratus et rubricis diſtinctus eſt, ut e calce petendum, *Magni aurelij caſſiodori ſenatoris jam domino preſtante conuerſi expoſicio pſalmorum.* Tò *Conuerſi* ex aevi uſu jam Coenobium *Vivarienſe*, quod ipſe conſtruxerat, ingreſſi intellige. Prima hujus Operis Pars, neſcio, quod fatum habuit; altera enim praeſens incipit: *Pſalmus 91. Pſalmus cantici in die Sabbati*, atque hinc usque ad Pſalterii finem integre decurrit. Initium eſt: *Pſalmus cantici commonet nos vt in vniuerſis actibus noſtris divinitati gratias referre debeamus* &c. Lectio, ſi cum editione Opp. omn. *Garetiana Rotom.* 1679. T. II. p. 311. conferatur, proba eſt demtis levibus quibusdam differentiis, puta ſub ingreſſum *opera ſpiritualia* pro *operas ſpirituales*, *omnem viam ſuam* pro *vitam*, *obſeruancias eius* pro *obſervantiam*, *opera noſtra* pro *operatio noſtra*, *iudicatur adiunctus* pro *videatur* &c. ſed mox lapſus eſt Librarius *quia trinitatem diuinam* pro *quaternitatem diuinam* ſcribendo. In calce haec notavit ad hiſtoriam: *Temporibus Juſtiniani Auguſti Caſſiodorus apud Vrbem Romanam claruit. Hic primitus conſul, deinde ſenator, ad poſtremum vero monachus extitit. Hoc etiam tempore dyoniſius* (Exiguus) *abbas in vrbe conſtitutus paſcalem calculum compoſuit, tuncque apud conſtantinopolim Priſcianus grammatice artis profunda rimatus eſt, tunc quoque nichilominus arator Romane eccleſie ſubdyaconus apoſtolorum actus verſibus exarauit. Hec itaque in longobardorum geſtis ſcripta ſunt.* Ita ſane, ſed paullo uberius, apud *Paulum Diac.* L. I. c. 25. in *Muratorii Scriptt. Rer. Ital.* T. I. p. 421.

CXXXVI.

Codex chartaceus lat. Sec. XV. U. 128 Folior. 318. f. max. per duas columnas probe et diligenter exaratus, rubricisque inſignis, quem, fronte teſte, Collegio Ducali quondam dedit *Honorabilis Vir Dominus Johannes Beyzz de Franleyten* oppido *Styriae*, complectitur vaſtam *Pſalterii* et *Canticorum* Biblicorum Expoſitionem, cujus Autorem demum manifeſtat Clauſula miniata Operis, quae ſic habet: *Explicit Gloſa ſolempniſſimi Doctoris Honorij* (Auguſtodun.) *ſolitarij ſuper Pſalterium a Johanni Presbitero Cappellano in Rupprechczhofen ſcripta ibi idem Anno ab incarnationis domini Milleſimo Quadringenteſimo Quarto. In die Sixti pape. Deus propicius eſto mihi peccatori.* Cum mox memoratus Pagus ad Carthuſiam *Gemnicenſem* infer. *Auſtriae* pertinuerit, et *Bern. Pezius* T. II. *Theſ. Anecd. col.* 95. *Expoſitionem ſe-*

lecto-